

De Genere Orthochile Latr.

In Insectis Diptericis

Nota.

In Italia, praesertim media, dipteri speciem frequenter legitur generi Latreilliano *Orthochile* referendam, et sciens, genus hoc unica specie europaea conditum esse, seu *Nigrocaeruleae*, istae, specimina Italica pertinere credens, nomine antiquo distincta, in collectione mea locavi; nec iisdem attente studui, nisi quando ex insula Melita, exemplaria nonnulla accepi speciei congeneris sed certe distinctae.

Tuuc ut scirem si parmensis vel melitensis, speciem auctorum repraesentabat, eorum descriptiones consulendo, in certitudinem veni, speciem antiquam, a generis fundatore vix adumbratam, sed a Meigenio et Macquartio idonee et aequaliter descriptam, diversam esse a specie quae in diagnosi Walkeri denotatur: sed quod magis interest, etiam cognovi, species ambas Italiae mediae et meridionalis, neque ad unam neque ad alteram auctorum pertinere.

Inde genus hoc Dolicopinorum species quatuor europaeas hic et nunc continet, quarum distinctionis characteres praecipuos oportet adnotari, ut facio

- A. Tibiae posticae totae nigrae: intermediae fulvescentes, apice nigricante. — Sp. 1. Italica *mihi*.
- AA. Tibiae posticae in medietate basali magis vel minus late rufescentes: intermediae totae, etiam apice, rufescentes.
- B. Tarsi omnes, etiam basi anticornu, nigri.
Lamellae anales (maris) fulvae. — Sp. 2. *Nigrocaerulea* Latr.
- BB. Tarsi quatuor anteriores basi late rufescentes, vel saltem antici metatarso rufo.
Lamellae anales (in mare) nigricantes.

C. Tarsi quatuor anteriores basi late rufescentes.

Femora intermedia late rufa basi nigricante.

Sp. 3. Schembrii *mihi*.

CC. Tarsi intermedii toti nigri: antici metatarso et non toto rufescente. —

Femora intermedia late nigra, et apice tantum rufa. —

Sp. 4. Walkeri *mihi*.

Specierum distinctio in diagnosibus sic statuenda.

Sp. 1. O. Italica ♂ ♀ Rnd.

Nigrocaerulea ♀ var. Macq. — ♂ ♀ Rndn. (olim). Nigro-virens submetallica — Antennae nigrae — Palpi nigricantes picei — Pedes antici, femoribus nigro-olivaceis apice anguste rufescente: tibiis totis rufescensibus; tarsis nigris, ima basi fusco rufescente. — Pedes intermedii femoribus extrinsecus rufescensibus, intus magis vel minus late nigro-olivacea; tarsis totis nigris. — Pedes postici toti nigro-olivacei, geniculis tantum angustissime rufescensibus.

Lamellae anales (in mare) nigricantes.

Vulgaris in Italia media tempore aestivo, in floribus praesertim Chrysanthemi Leucanthemi legenda.

Sp. 2. O. Nigrocaerulea Latr. Mgn. Macq.

(Non Walk. nec Rndn.)

Similis Italicae et sequentibus, sed distinctissima, a prima, tibiis intermediis etiam apice rufis; posticis a basi ad medium circiter rufescensibus. — Tarsis totis etiam basi anticorum, nigris. — Lamellis analibus (maris) rufis; ab aliis vero congeneribus pariter differt, tarsis omnibus omnino nigris, et lamellis marium rufis.

Rara in Gallia.

Sp. 3. O. Schembrii Rnd.

Similis duabus praecedentibus, tamen satis distincta; ab Italica, tibiis intermediis etiam apice rufescensibus: posticis basi plus minusve late rufis: tarsisque intermediis ad basim distincte et late rufescensibus.

A Nigrocaerulea vero parater distinguendi; Tarsis quatuor anterius basi late rufa; et lamellis analibus (in mare) nigricantibus.

In insula Melita a Dr. Schembri lecta, ubi non rara videtur, nam exemplaria nonnulla utriusque sexus mihi communicata fuerunt.

Sp. 4. O. Walkeri. Rndn.

Nigrocaerulea Walk. (non alior.)

Similis congeneribus, tamen ab omnibus facile distinguebatur.

Ab Italica differt. — Tibiis intermediis etiam apice rufis — et Tibiis posticis, basi late rufescensibus.

A Nigrocaerulea, tarsis anticis basi rufa in utroque sexu, et lamellis analibus (in mare) nigricantibus.

A Schembrii, tarsis intermediis late et distincte rufis ad basim et femoribus intermediis nigris apice rufo, non rufa basi nigra.

Rara in Anglia.

Oportet hic considerare, constantia, non distantia, characterum validitatem, in speciebus entomologicis distinguendis, metiri.

Parma 4 Martii 1858.

C. Rondani.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Linnaea Entomologica](#)

Jahr/Year: 1859

Band/Volume: [13](#)

Autor(en)/Author(s): Rondani C.

Artikel/Article: [De Genere Orthochile Latr. In Insectis Dpteris](#)
[Nota 315-317](#)